

## De Christo Domino, &c.

5

conscripta verò fuisse, quorum exhibent nomina.

I. Probatur ex Origene apud Eusebium lib. 6. hist. Eccles. cap. 25., ubi docet: Sicut ex traditione accepi de quatuor Evangeliiis, qua sola in universa Christi Ecclesia, qua sub celo est, citra controversiam, admittuntur; Primum scilicet Evangelium conscriptum esse a Mattheo, aliquando quidem publicano, postea vero Apostolo Iesu Christi, qui illud hebreo sermone conscriptum edidit apud eos, qui è Judaismo crediderunt. Secundum fuisse accepimus Evangelium Marcii, qui, prout Petrus ipse narraverat, id confecit. Quem idcirco Petrus in Epistola Canonica eum filium suum agnoscat his verbis: Salutat vos electa Dei Ecclesia, que est Babylone, & Marcus filius meus. Tertium Evangelium Lucæ, quod a Paulo commendatur in gratiam Gentilium. Postremum, verò Evangelium Joannis.

II. Probatur ex Augustino lib. 33. contra Faustum cap. 6. Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varrois, aliorumque ejusmodi Autorum libros, unde neverunt homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succendentium contestatione continua? Quare igitur similia de Mattheo, Marco, Luca, Joanne, dicere non possumus, quum & succendentia tempora comprobentur. Scriptores omnes uno ore faciuntur.

III. Probatur ex Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, ubi de Mattheo, ejusque Evangelio, ait: Mattheus, qui & Levi, ex Publicano Apostolus, primum in Iudea propter eos, qui ex circumcisione crediderunt, Evangelium Christi literis hebraicis, verbisque composuit, Quod quis postea in grecum transtulerit, non satis certum est. Porro, ipsum hebreum habetur usque hodie in Cesariensi Bibliotheca, quam Pamphilus Martyr studiosissime confecit. Mibi quoque à Nazara, qui in Berea, Urbe Syria, hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit. De Marco, ejusque Evangelio, eodem in loco, inquit: Marcus, Discipulus, & interpres Petri, juxta quod Petrum referentes audierat, rogatus Roma à Fratribus, breve scriptit Evangelium. Quod cum Petrus audiisset, probavit, & Ecclesia legendum sua auctoritate dedit, sicut Clemens in Sexto Hypothyposes libro scribit. Et Papias, Hieropolitanus Episcopus meminit hujus Marcii, & Petrus in Epistola prima sub nomine Babylonis, figurabter Romanum significans: Salutat vos electa Dei Ecclesia, que est Babylonie, & Marcus filius meus. Assumptio

itaque Evangelio, quod ipse confecerat, perexit Aegyptum, & primus Alexandriae Christum annuncians, constituit Ecclesiam tantu[m] doctrina, & vita continentia, ut omnes Se[ctato]res Christi, ad exemplum sui converget, &c. De Luca, ejusque Evangelio, idem Hieronymus in praefatione Commentariorum in Matthæum habet: Tertius Lucas, natione Syrus, Antiochenus, cuius laus in Evangelio, qui & ipse discipulus Apostoli Pauli, in Achia, Boetiaque partibus volumen condidit, quedam altius repetens, &c. ut ipse in proemio confiterat, auditu magis, quam visa, describens. Denique de S. Joanne, ejusque Evangelio, idem Hieronymus in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum habet: Joannes Apostolus, quem Iesus amavit plurimum, filius Z bedæ, frater Jacobi Apostoli, quem Herodes post passionem Domini decollaverat, novissimum omnium scripsit Evangelium, rogatus ab Asia Episcopis, adversus Cerinum, aliosque hereticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui afferrunt, Christum ante Mariam non fuisse. Unde & compulsa est divinam ejus nativitatem edicare. Sed & aliam causam hujus Scriptura, ferunt; quod cum legisset Matthei, Marcii, & Luca volumina, probaverit quidem textum historie, & vera, eos dixisse, firmaverit, sed unius tantum anni, in quo & passus est, post carcere Joannis, historiam texuisse. Prætermis itaque anno, cuius Acta à tribus exposita fuerant, superioris temporis antequam Joannes clauderetur in carcere, gesta narravit, sicut manifestum esse poterit iis, qui diligenter quatuor Evangelistarum volumina legerint,

IV. Probatur. Ecclesia catholica per mundum totum diffusa, haec quatuor Evangelia recitat, & cantat sub illis iisdem nominibus, quæ præserunt; Item omnia Concilia tum generalia, tum peculiaria, laudent eadem sub his nominibus; pariter Sancti Patres omnes corundem adhibent testimonia sub iisdem nominibus; denique Pontifices, qui sunt Ecclesiæ Magistri, Doctores, Scriptores omnes, sub iisdem nominibus eadem memorant; sed æque falsum, ac impium est dicere, quod hi omnes, vel non cognoverint Sanctorum Evangeliorum Authores, vel in iis recitandis erravissent: ergo verè Authores quatuor Evangeliorum sunt illi iisdem, quorum exhibent nomina.

Dicimus III., in quatuor Evangelii contigeri Iesu Christi historiam, veritatis omnibus